

1.3.26

*Imp. Leo A. Viviano pp.*

Decernimus, ut posthac neque monachi aut quicumque alias cuiuslibet  
status aut fortunae in aedes publicas vel in  
quaecumque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem  
crucem et sanctorum martyrum reliquias illicite  
inferre conentur vel occupare audeant ea, quae  
vel ad publicas causas vel ad populi oblectamenta  
constructa sunt. cum enim religiosae aedes non desunt,  
possunt ibi, consultis prius ut oportet religiosissimis  
episcopis, reliquias martyrum non quorundam  
usurpatione, sed arbitrio reverentissimorum antistitum  
collocare. ideo patientiam et modestiam suam,  
quam leges nostrae et publica disciplina et ipsorum  
monachorum nomen exposcit, studiose unusquisque  
tam monachus quam cuiuslibet alterius professionis  
retineat et perpetuo observare procuret.

*D. XV k. Oct. Patricio cons.*

[a. 459]

1.3.27

*Idem A. Erythrio pp.*

Quisquis emensis militiae  
suae stipendiis expletisque officiis sive muneribus,  
quae cuicunque condicioni aut consuetudine  
vel lege debebat, ad consortium se contulerit clericorum  
et inter ministros verae orthodoxae fidei maluerit  
et elegerit numerari, nullius prorsus sententia  
acerbitate revocetur nec a dei templis quibus se consecravit  
inopportunitis intentionibus abstrahatur, sed  
isdem beatissimis ministeriis securus permaneat et  
quietus, ad quae post longi laboris lassitudinem ob  
reliquae vitae requiem consilio meliore protractus  
est: his actionibus, si quae contra eum eiusque patrimonium  
legitima intentione competunt, pro iuris ordine  
responsurus: exceptis primipilaribus, quos praecepsit  
tui culminis et publicis utilitatibus in perpetuum  
esse subiectos sacratissimae constitutionis  
statuta sanxerunt.

*D. prid. non. Mart. Constantinopoli Leone A. III cons. [a. 466]*